









1.
2.
3.
4.
5.
6.
11
1



1782

1. Beselin, Valentinus Francus: De pertinentiis
2. Kern, Godofredus Ludovicus: De obligatione tutoris defuncti ex persona heredis hanc minuta.
3. Leman, Hermann Francus: De natura ac indole actionis, quae ob laesionem enormem conceditur.
4. Meyer, Fridricus Francus Laurentius: De dignitatibus in capitulis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum
5. Pappi, Nicolaus Bernhardus: Utrum lex nova de bonis hereditariis alienari permissis contra iudicatos Hamburgenses peregre commorantes possit applicari?
6. Zeller, Carolus Philippus Francus: De parte sponsae Legibus

1783.

1. Beckmann, Wlfr. Vor. Hwr.: Quaedam de ad. C.C. XVIII. C.C. praefatus tam practictiones suas receptivas tan

opera B. Fabricii postuma editenda iudicabit.

2. Schen, Joachimus Philippus: De natura et iudicio
exceptionum in causis cambiatis occurrentium.
3. Boechmerus, Gregorius Ludovicus: De acquisitione
fructuum
4. Geislerus, Cordus Henricus: De potestate imperatoris
ordinandi regimen bonorum eccl. imp. immut. d.
5. Klepcker, Joannes: De Hausa Teutonica secun-
dum principia juris publici imprimis considerata
6. Reikemeier, Joh. Fried: De origine et ratione
questionis per tormentum apud Graecos et Romanos
7. Ridel, Cornel. Henr. Rudolph: Utrum actus quoad
rem immobilem a cautione in processu praes-
tanda liberet, nec ne?

8

9

10

11



8. Schlüter, Jurell: De jure relictionis, in pacto de
retro vendendo competente, praescriptioni obnoxio.
9. Schlüter, Wilhelmus: De jure delictus in sacro Romano
imperio
10. Waldeck, Johannes Peter: Meiner Vorschlag mit Ausar-
bestungen verknüpfter Lehrstunden über des gemeine
bürgerliche Recht.
11. Winkler, Johann Christianus: Quae nam actio a
desponsatis ad matrimonium consummatum, insti-
tuta sunt.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]

7
P. 96.



21
1782 5 5
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIS HAMBURGENSIS,

QVA DISQVIRITVR,

**VTRVM LEX NOVA DE
BONIS HEREDITARIIS ALIE-
NARI PERMISSIS CONTRA SVBDITOS
HAMBURGENSES PEREGRE COMMO-
RANTES POSSIT APPLICARI.**

QVAM

AVSPICIIIS REGIIS

ILLVSTRIS ORDINIS ICTORVM AVCTORITATE

PRO

**SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS**

DIE XVI. OCTOBRIS ANNI MDCCLXXXII

PVBLCICE DEFENDET

NICOLAVS BERNHARDVS POPPE

HAMBURGENSIS.

GOETTINGÆ,

LITTERIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICI



DISSERTATIO HANOVENSIS IN RE HANNOVERENSIS

AVT. HANNOVERENSIS

UTRUM IUS NOVA DE

BONIS HEREDITARIIS ALIE

NAVE PERMISSIS CONTRA EDITOS

HANNOVERENSIS PRÆSENTI COMITIO

HANT. S. WISSIT APRIL. 1717

1717

AVSPICIS REGIS

ILLVSTRIS ORDINIS IUSTITIA AVTORITATE

1717

SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIVS

CAESARIS

DIE XVI OCTOBRI ANNI MDCCCLXXII

AVBLICE DEPONET

NICOLAUS BERNHARDVS POPPE

HANNOVERENSIS

LIBRARY
HANNOVER
1717

GOTTINGEN

LIBRARY IOANN. CHRISTIAN. DISTRICT. IN
HANNOVER



PROOEMIVM.

§. I.

Bonorum hereditiariorum alienatio iure Hamburgensi ex regula interdicta.

Conservationem et splendorem familiarum, quem inter nobiles bonorum *stematicorum* et *acquisitorum* discriminis rationem continere constat, et inter ciues diuersa bonorum *hereditiariorum* et *acquisitorum* iura passim induxisse satis notum est. Neque maior patrii huius iuris seruandi ratio fuit, quam in iis ciuitatibus, quae salutis et splendoris sui incrementa commercio, et opibus ac diuitiis inde partis debuerunt. Hinc vero et in iure Hamburgensi seruatum est illud discrimen in articulo quarto, tituli primi, partis tertiae statutorum, et, vt ne bona hereditaria absque consensu heredum proximiorum alienare liceat constitutum est, hisce verbis: *Alber von Erbgut ist niemand vermöge dieser Stadtrecht ohne seiner nächsten Erben Erlaubnis oder Bewilligung zu testiren berechtiget, sondern dasselbe seinen nächsten Erben ungeschmälet zu lassen schuldig.* Bonorum autem heredi-

A

tario-

tariorum siue aitorum (Erbgut) appellatione, *bona quae a personis sanguine iunctis deferuntur*, a) intelligi et res mobiles aequae ac immobiles iure Hamburgensi comprehendi indubitatum est. b)

a) In statuto Lubecensi Libr. I. tit. 10. art. 6. scriptum legimus: *Erbgut wird geheissen allerhand Gut, welches einem Menschen anfallen mag von seinen Eltern oder Blutsfreunden in aufsteigender oder niedersteigender, und Seitenlinie.*

b) Et conuenienter quidem generali quod lex Hamburgensis habet vocabulo *Erbgut*, cum quo statutum Lubecense verbis *allerhand Gut* conspirare videtur. vid. *Sammlung hamburgischer Gesetze und Verfassungen*. Th. IV. Abtheil. III. S. 10.

§. 2.

Eadem vero iure nouo aliquando permiffa.

Quae quidem lex, quum bonorum aitorum alienandorum facultatem generatim restringeret, promiscue olim erat applicanda, nulla habita ratione vtrum proximi heredes essent ciues et incolae Hamburgenses, an vero extranei vel certe vrbis iurisdictioni haud subiecti. Inde vero contigit, quod iniquum videbatur, vt extranei ciuium et incolarum Hamburgensium cognati, prout siue communi, siue particulari aliquo iure liberam vel saltim liberio rem quam Hamburgenses de bonis auitis disponendi facultatem haberent, hac vsi, cognatos Hamburgenses a successione excluderent, quum ta-

men

men hi statutorum sanctione deuincti hereditatem suam relinquere illis tenerentur. Nec etiam ea, qua extraneos bona hereditaria vindicantes propria auctoritate repellere ausi sunt Hamburgenses, retorsionis exceptio, solidis rationibus erat fundata, quum retorquendorum iurium facultas ad iura in peregrinos iniqua statuta adstricta sit, ad iura autem inaequalia tantum, et quibus in peregrinorum odium nihil fancitum, qualia sunt diuersa, quibus ciuitates in liberiore vel restrictiore alienandi bona facultate reguntur iura, haud possit extendi.

Quum vero ea de re lites et contentiones moueri facilius contingeret, senatus autem Hamburgensis tum iniquitatis haud inanem speciem praeferrere a ciuibus suis intelligeret, tum publicae utilitatis causam agi perspiceret, eo quod necessitate exportandarum e patria diuitiarum imposita, et exclusa tamen spe certa extraneorum hereditatum consequendarum, patriae saluti et splendori parum consuleretur, his quidem grauissimis rationibus adductus est, ut anno MDCCXXXIII die XVI Februarii, adhibitis ciuibus, legi statutariae de bonis auitis non alienandis derogaret et liberam disponendi facultatem tribueret, vbi et proximi heredes, tum exterarum prouinciarum ciues et incolae, tum ciuitatis Hamburgensis iurisdictioni haud subiecti, bona hereditaria libere alienandi

nandi et consanguineos a successione excludendi potestatem haberent.

§. 3.

Instituti ratio.

Commentatus est hanc in legem IOANNES CHRISTIANVS VELKEN in differtatione Kilonii anno MDCCLIX habita de alienatione bonorum hereditariorum in casu ubi forenses libere de iis disponere possunt, iure nouo licita. Praeter eam vero, quam vir doctus in lege generaliter explicanda, tum speciebus ad quam ea pertinet generatim definiendo, tum in rationes eius inquirendo, operam et diligentiam collocavit, superesse mihi visa est de singulis ex hac lege decidendis quaestionibus figillatim disputandi materia, nec reprehendendum existimaui consilium, quod cepi differendi de eo, vtrum et qua ratione lex nostra ad Hamburgenses, qui extra patriam commorantur, sit applicanda, quod quidem argumentum eo magis disquisitione dignum esse videbatur, quod de eo in foris patriae saepius disceptatum esse comperui, veluti: quum Meuius in testamento de bonis hereditariis condito, Titium heredem proximum, ideo quod patria relicta, in exteris terris commoraretur, excluderat, aliosque remotiores consanguineos instituerat, impugnante Titio testamentum, quia domicilium se extra pa-

5
patriam habuisse negaret, quum non nisi operam suam in militia praestandam extero regi condixisset.

Haec quidem de instituti mei ratione dixisse sufficiat. Quod reliquum est omnes ac singulos qui scriptiunculam hanc meam legere haud dedignabuntur, ut iuuenem eumque virum suarum periculum primo facientem benigne ac humane iudicent, et errantem forte, meliora et rectiora doceant, enixe rogo.

CAPVT I.

QVO DEMONSTRATUR,

NOVAM LEGEM CONTRA HAMBVRGENSES,
NISI QVI RELICTA PATRIA ALIBI DOMICILIVM
CONSTITVERVNT, NON POSSE APPLICARI.

§. 4.

Noua lex Hamburgensis.

Lex ipsa, cuius iam aggredior interpretationem, huius est tenoris:

Wann wegen der in dieser Stadt Statuten und Decreesen enthaltenen Verordnungen von Erbgütern, Testamenten

A 3

und

und Ehezärtern, in Ansehung fremder oder auswärtiger Erben, zum öftern verschiedene Zweifel vorgekommen, als hat E. E. Rath und Erbgeseffene Bürgerschaft in der den 16. Febr. 1733 gehaltenen Versammlung, solche dahin erläutern und hiemit erklären wollen: daß, in Ansehung hiesiger Stadt Bürger und der in dem sogenannten fremden Contract stehenden und dieser Stadt Jurisdiction unterworfenen Einwohner und Unterthanen, es, sowohl der Erb-Güter, als Testamenten und Ehezärter halber, bey den hiesigen Statuten, Verordnungen und allem dem, wie es damit von Alters her gehalten worden, unverändert bleibet. Wann aber hiesige Bürger und Einwohner solche Erben ab intestato am Leben haben, die in der Fremde wohnen, oder hiesiger Stadt Bothmäßigkeit und Jurisdiction nicht anerkennen, und von ihren Erbgütern testiren können, daß sodann denen hiesigen ebenfalls frey stehen soll, sowohl von Erb- als wohlgewonnenen Gütern, nach Maaßgebung der allgemeinen Kaiserlichen Rechte, per Testamentum, oder inter vivos, auch vermittelst der hier gebräuchlichen Ehezärter, ohne jemandes Behinderung zu disponiren, und dieselben denenjenigen, welchen sie solche gönnen, zu legiren und zu vermachen. Jedoch, daß, wann bey des Testatoris Leben dessen nächster Erbe aus der Fremde sich allhier beständig zu wohnen begeben und der Stadt pflichtig machen würde,

dem-

demselben sodann eben die Rechte und Wohlthaten nach den hiesigen Statuten, wie andern Bürgern angedeyen sollen.

§. 5.

Argumentum legis generatim exponitur.

Post allatam primum hac in lege tum eius occasionem, quae in litibus dubiisque antea super hac materia exortis posita erat, tum implicite hoc ipso expressam legis rationem, ut nimirum et inaequalis civium et peregrinorum in facultate de bonis suis disponendi conditionis iniquitas tolleretur, et patriae opum ac splendoris incremento simul consuleretur, ipsa dein sequitur dispositio, quae generatim quidem legis statutariae de restricta bonorum hereditariorum alienandorum facultate sanctionem repetit atque confirmat, sed exceptionem huic facit in fauorem civium et incolarum Hamburgensium, qui heredes habent vel extraneos, vel urbis iurisdictioni haud subiectos, eosdemque legibus, quibus consanguineis ratione bonorum auctorum haud prospicitur, viuentes, quos a bonis hereditariis similiter excludendi facultatem tribuit.

§. 6.

Quaenam, ut applicari lex possit, requirantur?

Requiritur itaque ad nouam hanc legem applicandam primum, ut proximior heres qui excludendus est, vel ex-
tera-

terarum terrarum prouinciarumue sit incola, vel certe ciuitatis
 Hamburgi iurisdictioni haud subiectus. Deinde, vt iis sub-
 fit legibus, ex quibus de bonis hereditariis disponendi co-
 gnatosque excludendi liberam habet facultatem. Quodsi
 enim alterutrum ex his desit, cessat finis quem legis aucto-
 res intenderunt, vt ne iurium aliqua inter ciues et pere-
 grinos diuerstas intercedat, quippe quum nec ii, qui Ham-
 burgi viuunt vrbis iurisdictionem agnoscentes, et hinc sta-
 tutariis legibus obtemperantes, nec extranei, eorum locorum
 habitatores, quorum leges bonorum auitorum qualitatem agno-
 scunt, consanguineos qui Hamburgi versantur, excludendi eo-
 que conditionem eorum iniquam reddendi facultate gaudeant.
 Vtroque contra posito, libera datur Hamburgensibus extra-
 neos heredes, qua velint ratione a bonis hereditariis ex-
 cludendi potestas, quam tamen exacte adstrictam eo iuri,
 quod et extranei ratione bonorum suorum habent, accipi-
 endam, et eousque tantum, quousque peregrina iura facul-
 tatem disponendi impertiunt concedendam esse ex mente
 sanctionis recte colligitur. Nec etiam verba adhibita: Daß
 sodann denen hiesigen ebenfalls frey stehen soll, sowol
 von Erb- als wohlgeuonnenen Gütern, nach Maasge-
 hung der allgemeinen Kayserlichen Rechte per Testamen-
 tum, oder inter viuos, auch vermittelst der hier gebräuch-
 licher Ehevärter, ohne jemandes Behinderung zu disponi-
 ren,

ren, und dieselben denenjenigen, welchen sie solche gdnen, zu legiren und zu vermachen, ob stare videntur, quum si latius ratione verba legis pateant, rationi legis ex sanis interpretandi regulis ea sint attemperanda. Vt autem quis facultate lege concessa vti possit, sufficit esse heredes eius proximiores ea in conditione, vt et ipsi eadem potestate fruantur. Vt vero iidem ea iam vti sint et Hamburgenses cognatos excluderint, nulla ratione requiritur: quum libera disponendi facultas generatim in hac lege data sit ad imminentem iniquitatem tollendam, non vero ad iniuriam illatam vindicandam, nec etiam singuli actus, sed integra diuersarum prouinciarum iura ad iuris retorsionis materiam pertineant. a)

a) cfr. UELKEN: in Dissert. laudata. §. 33.

§. 7.

Contra subditos Hamburgenses, nisi qui patria relicta alibi domicilium constituerunt haud applicandam esse legem ex verbis eius demonstratur.

Haec quidem de legis nostrae sanctione eiusque mente ac rationibus generatim dixisse sufficiat; sed subsisto iam in personis contra quas legis applicatio procedit, quae consideratio propius ad argumentum meum spectat. Vt ne vero acta agere videar, omiſſis, quae de personis lege compre-

B

hen-

hensis, tum iis, quae lege vtantur, vel non vtantur, tum his contra quas lex applicari possit, in supra memorata commentatione copiose disputata sunt, statim me verto ad ea ponenda principia, vnde nostrae quaestionis decisio petenda esse mihi videtur.

Duplex nimirum in lege expressum est personarum genus, contra quas eius applicandae locus datur. Alterum eorum, qui in exteris prouinciis domicilium habent, *die in der Fremde wohnen*; alterum illorum qui Hamburgi quidem degunt, sed iurisdictionem ciuitatis haud agnoscunt, oder hiesige Stadt Jurisdiction nicht anerkennen. Contra ciues vero et incolas Hamburgenses, aliosque vrbis iurisdictioni subiectos non procedit legis nouae applicatio, sed iuris statutarii regula seruanda est, quod diserte constitutum est his verbis: *daß in Ansehung hiesiger Stadt, Bürger und der in dem sogenannten fremden Contract stehenden und dieser Stadt Jurisdiction unterworfenen Einwohner und Unterthanen es bey den hiesigen Statuten und allen dem, wie es damit von Alters her gehalten worden, unverändert bleibe.* Hinc si ex verbis legis generatim definiendum sit, vtrum ciues aut incolae Hamburgenses, propitia lege excludere
 pos-

possint consanguineos suos Hamburgenses qui in exteris provinciis commorantur, non aliter hoc licere illis dicendum videtur, quam quum ciues et incolae Hamburgenses hi esse desierunt et in loco, quo de bonis hereditariis libere dispo- nere licet domicilium posuerunt. Donec enim hoc contige- rit, exceptio lege facta ad eos haud pertinet, sed sub regula in ciuibus et incolis Hamburgensibus confirmata comprehen- duntur. Illud vero solum quod in exteris terris vel provin- ciis commorantur, vt *mutatum* dici possit domicilium non suf- ficit, sed praeterea requiritur, vt soluto tum ciuitatis, tum domicilii quo Hamburgi tenebantur nexu, *sedem fixam* alib constituerint, quo demum facto sub iis, *die in der Grendei wohnen*, in iuris sensu comprehendi possunt. Euincitur hoc ex luculentissimis iuris Romani principiis, quorum summam sequenti capite persequar, quae vero, quum de domicilio eiusque notione et iuribus definiendis agatur, in quo nihil occurrit quod ad propria patriae nostrae instituta pertineat, applicanda esse prorsus indubitatum videtur, quum et in hoc eximius iuris Romani tamquam communis et subsidiarii vsus appareat, vt in patriis legibus, quae de rebus ad ius com- mune pertinentibus explicandis agunt, iusta praebeat inter- pretandi fundamenta atque subsidia.

Idem ex ratione legis euincitur.

Idem vero rationibus legis nostrae apprime consentaneum esse existimo; nam iniquitatis ex iurium diuersitate per conciuēs, qui peregre degunt, Hamburgensibus metuendae solida ratio tunc demum existit, quum illi deserta patria alibi domicilium posuerint, haudquaquam vero, quum sede fixa haud constituta, nec *redeundi animo* deposito, nec solutis itaque iis, quibus patriae adstricti sunt vinculis in exteris prouinciis commorantur, quippe in quo casu nec facultatem habent a bonis hereditariis Hamburgi relictis, quorum ratione leges statutariae sunt obseruandae, heredes Hamburgenses excludendi, nec etiam, dum nexum cum patria conseruant, vt ne conciuibus neglectis, bona sua in extraneos transferendi consilium ceperint, metuendum esse videtur. Dubium quidem mouet vulgata regula, quod omne negotium iudicari debeat ex iuribus eius loci vbi conficitur, *a)* et secundum haec rite conditum vbique locorum validum habeatur, hinc vero consequi videtur, Hamburgenses qui extra patriam super bonis hereditariis Hamburgi relictis in loco vbi liberum ea alienandi ius est, disponentes ad patria iura seruanda haud adstringi. Sed primum notandum est, regulam istam ab aliis ad externam negotiorum formam et solemnitatem, quam ex iuribus loci vbi illud conficitur iudicandam esse concedunt
non

non sine ratione restringi, contra vero, si de contentis negotii eorumque valore quaeratur, haec ex legibus loci, ubi in effectum duci debet naturali ratione aestimanda esse contendi; Deinde vero singularis est ratio, quae legem de bonis auitis in fauorem cognatorum haud alienandis, et ab his, qui extra territorium de iis disponunt obseruari iubet, quamque etiam ii, quibus caeterum regula, vt ex loci quo negotium conficitur iuribus, eius vis et effectus omnino indicetur, generaliter probata est, agnoscunt, haec nimirum: quod per leges quae bonorum hereditariorum alienationem in fauorem cognatorum interdicunt, heredibus proximis datum sit ius quaesitum, quod adimi iis dispositione alibi facta non potest, quodque bona lege alienari prohibita, et commercio quodammodo exempta, inter obiecta, de quibus disponere licet, referri haud posse videsantur. b)

a) L. 6. D. de euictionibus et duplae stipulatione. L. 1. C. de emancipat.

b) His quidem rationibus adductus, ab iis qui extra territorium testantur, seruanda esse ea quae iure Hamburgensi de bonis hereditariis statuta sunt, respondit I. H. BÖHMER in *Consultationibus et Decisionibus*. Tom. II. Part. I. Conf. 631. n. 29. et Tom. III. P. III. Resp. 499.

§. 9.

Quum igitur ex hoc, vtrum Hamburgenses, qui extra patriam commorantur hac deserta alibi domicilium constituerint

rint quaestionis nostrae decisio sit repetenda, superest, ut unde de *domicilio mutato* constet, disquiramus. In hoc quidem definiendo, ut totum quod latissime patet de domicilio argumentum exhauriam, nec vires meae ferunt, nec circumscriptum Dissertationis academicae conscribendae tempus admittit, sed prima doctrinae fundamenta euoluere sufficiet.

CAPVT II.

QVO DISQVIRITVR

VNDE POTISSIMVM DE DOMICILIO ALIBI
CONSTITVTO NEC NE, IVDICANDVM
SIT?

§. 10.

Domicilii notio et diuisio.

DOMICILII locum, eum in quo quis animo, perpetuo et donec quid auocet consistendi habitat, vocari, et ad constituendum domicellium tum factum habitationis, tum animum sedem fixam habendi, requiri tritissimum est. Euincitur hoc ex clarissimis legum sanctionibus, quarum praecipuae sunt: L. 7. C. de incolis. a) L. 2. C. vbi senatores vel clarissimi. b) L. 5. §. 5. D. de iniuriis. c) L. 22. §. 1. et 2. D. ad municipal. Diuiditur domicellium in voluntarium et necessarium, prout

prout vel libera voluntate constituitur, vel ipsa legis dispositione personis quibusdam tributum est, veluti *uxori*, quae in mariti conditionem transit, et amisso domicilio, quod antea illi fuit mariti domicilium sequitur, secundum L. 65. D. de iudiciis. L. fin. §. 3. D. ad municipal. L. fin. C. de incolis. et L. 13. C. de dignitatibus; et *relegatis* qui in locum quem relegati sunt, domicilium consequuntur secundum L. 22. §. 3. D. ad municipal., qui tamen, dum reuertendi in patriam animum et spem habeant, pristinum quoque domicilium retinuisse videntur per L. 27. §. ult. D. ad municipal. Aliud domicilii *necessarii* exemplum in iure Romano occurrit in *dignitatis* domicilio, quod senatores Romae habuerunt, quod agnoscendum illis fuit, licet liberum comitatum, hoc est facultatem ubi velint commorandi impetrauerint, secundum L. 8. C. de incolis, et L. 22. §. 6. D. ad municipal, quod tamen adiectionem potius domicilii dedisse, quam mutationem eius continuisse apparet ex L. 11. D. de senator.

a) *Incolas domicilium facit. Et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil auocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur: quod si redit, peregrinari iam destitit.*

b) *Senatores in pecuniariis causis, siue in hac alma vrbe, siue in suburbanis degunt, in iudicio tam praetorianae quam orbicariae praefecturae, nec non magistris officiorum, in prouincijs vero, ubi larem*

larem fouent aut ubi maiorem bonorum partem possident, et assidue versantur, respondebunt.

- e) Ego puto ad omnem habitationem, in qua paterfamilias habitat, pertinere hanc legem, licet ibi quis domicilium non habeat.

§. II.

Ad constitutionem domicilii factum et animus requiritur.

Domicilium *voluntarium* in quo iam subsisto, vt constitutum dici possit, de facto pariter ac animo debet constare. At factum quidem habitationis facile apparet, sed difficilior est animi domicilium constituendi probatio, quem luculenter proditum esse oportet. Sunt autem cogitationum signa alia directa et ad mentem exprimendam natura sua apta, alia indirecta et ita comparata, vt interueniente demum iusto ratiocinio animi sensa inde colligantur. Quae quidem vtraque, quum de constituendo mutandoque domicilio quaeratur consideranda sunt, maxime vero signa indirecta, quum facilius mentem suam homines ita exprimere soleant, vt coniecturis eam assequi debeamus. Solliciti quidem fuere Iureconsulti in definiendis factorum generibus, quae domicilii constituti indicia continere viderentur, quae quidem generatim enumerare haud ita difficile est; in quibus vero ad species propositas rite applicandis caute et prudenter consideratis iis quae circumstant procedendum est.

Facta

Facta ista autem ita comparata esse debent, vt certum aliquod eius quem euincere debent animi contineant argumentum, in quo demonstrando maior non est difficultas, quam vbi de mutato quod quis in loco originis habuit domicilio quaestio incidit; tunc enim vt et de pristino deserto et de nouo constituto domicilio euidenter constet, recta ratio et iuris nostri doctrina exigit, quae mutationem non praesumi et donec de constituto alibi domicilio indubitate appareat, retineri illud, quod in originis loco, seu ciuitatis seu incolatus iure quis tenuit, domicilium docet. a)

- a) Conueniunt in hoc omnes quos legi de foro domicilii scriptores, inter quos nominasse sufficiet: GAILIUM Lib. 2. Obs. 35. n. 7. ZANGERVUM de *exceptionibus* cap. I. n. 10. sqq. MEVIUM ad *Ius Lubec.* Lib. I. T. 2. art. 2. n. 80. et in *Decisionib.* Part. IV. D. 256. Part. V. D. 163. LAUTERBACHIUM de *domicilio* cap. I. § 14. 64. WERNHERUM in *obseruat. iur. univ.* Part. VII. Obseru. 127. VOËTIUM ad *Dig.* L. V. T. I. n. 92. Illud autem, quod iure Romano constitutum legimus in *L. 3. pr. D. de muneribus et honoribus*, esse originis domicilium immutabile quoad munera ibi suscipienda, apud nos exulare, et alibi constituto domicilio illud quod in loco originis quis habuit amitti certissimum est. vid. GAILIUM Lib. 2. Obs. 36. et MEVIUM Part. VII. Decif. 188.

Animus declaratur tum 1) expresse,

Hiscæ præmissis, qua ratione de domicilio constituto et mutato possit constare paucis exponam. Primum quidem *expresse* domicilii constituendi et mutandi animus proditur, si quis in loco aliquo *habitat*, et *perpetuo* ibi *manendi* propositum sibi esse *verbis declarat*, aut *ciuitatis ius ibi consequitur*. Sola autem verbis facta declaratio, vel iuris ciuitatis acquisitio, ad domicilium constituendum haud sufficiunt, nisi ipsa accedat habitatio, quæ solo animo a) domicilium non constituatur et cuius quis esse possit sine domicilio, et iure ciuitatis ad certum tantum finem, cuius ratione illud consecutus est, b) vti.

a) Quod scriptum est in L. 20. D. ad municipal. „Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione.“

b) Verbi causa: vt bona immobilia ibi habere possit. cfr. LAV-
TERBACH. *Dissert. de domicilio.* cap. 4. §. 30. ZANGER-
de *exceptionib.* Cap. I. Part. 2. n. 54. MEVIUM ad *Ius Lubec.*
Lib. I. Tit. II. art. 2. n. 80.

Tum 2) tacite. a) *si quis rem familiarem alicubi instruat.*

Deinde etiam *tacite* et *factis concludentibus* declarari solet animus iste, quorum præcipua genera breuiter enumerabo.

Pri-

Primo constitutum esse domicilium eo in loco indubitatum est, quo quis *rerum ac fortunarum suarum summam* posuit, itaque constitit, ut inde si nihil auocet, non sit discessurus. *a)* Quod quidem exinde apparet, quod cum familia sua ibi substitit, et plenam rei domesticae administrationem instituit. Varie hunc locum leges nostrae designarunt. Locum nempe, ubi *sedes ac tabulas quis habet, rerumque suarum constitutionem facit.* *b)* Sub *tabulis* autem, rationes domesticas, acceptorum et expensorum designationem intelligi, interpretes obseruarunt. *c)* Locum porro, ubi quis *larem fouet,* *d)* hoc est sacrarium domesticum ad deos penates colendos habet, quum certius et constantius sedis fortunarumque suarum alicubi positarum argumentum sacrorum constitutione nullum esse videretur. Eum igitur mutasse constat domicilium, qui vel venditis quas alicubi habuit rebus et possessionibus in aliam urbem cum familia sua ultro et nulla cogente necessitate migravit, et sic totam rem familiarem ex illo in hunc locum transtulit, vel postquam in aliam ciuitatem se contulit, assidue ibi versatus est, et possessionibus acquisitis vel vxore ducta, aliaue ratione re familiari instructa, sedem fixam et rerum suarum summam ibi constituit. Illud vero solum, quod quis focum et ignem aliquo loco teneat, siue *eigen Feuer und Rauch hält,* quum et mox discessuri ea habere possint, inter

certa domicilii constituti argumenta haud referendum esse videtur. c)

a) L. 7. C. de incolis.

b) L. 203. D. de Verbor. significat.

c) Inter quos nominare sufficiat. VLRIC. HVBERVM in *praefationib.* ad Dig. Lib. V. Tit. I. n. 43. et STRVVIVM in *syntagmate iuris civilis.* Lib. V. Tit. I. § 2.

d) in L. 7. C. de incolis et L. 2. C. *ubi senatores vel clariss.*

e) Quod recte monuerunt: ZANGER de *exceptionib.* cap. I. Part. II. n. 15. LAVTERBACH, de *domicilio.* cap. 4. § 33. MEVIVS ad *Ius Lubecense* Lib. I. Tit. 2. aliique plures.

§. 14.

b) *Si quis maiorem bonorum partem alicubi transferat et ibi versetur.*

Alterum, quod inter luculenta domicilii positi argumenta in legibus nostris refertur factum, hoc est, vt quis *maiores bonorum suorum partem* habeat in loco aliquo ibique assidue versetur, a) quippe quibus positis, fixae ibi sedis habendae perpetuoque si nihil auocet manendi intentio euidenter apparere videtur. Sola tamen bonorum in loco aliquo possessio, licet in his maior facultatum pars consistat, non sufficit, nisi assidua, sine qua domicilium non intelligitur, accedat commoratio. Patet hoc tum ex ipsa domicilii notione, tum etiam ex *Lege 2. C. ubi senatores vel*

vel clariss. et L. 13. D. ad municipal. b) Certius igitur vix est domicilii mutati indicium, quam hoc, quod quis nulla cogente necessitate maiorem bonorum partem in aliam civitatem transfert, in qua assidue commoratur, quippe quo ipso tum priorem domicilii locum deserendi, tum in loco ubi constitit manendi prodit intentionem, quum contra is, qui relictis in loco ubi domicilium habet vel omnibus, vel maxima bonorum parte alibi commoratur, nec animum redeundi deposuisse, nec aliam fixam sibi sedem constituuisse videatur.

a) L. 2. C. ubi senatores vel clariss. L. 22. §. 2. D. ad municipal.

b) In lege 2. C. cit. is domicilii locus dicitur, ubi maiorem partem bonorum possident et assidue versantur. Vtrumque igitur coniunctim requiritur, nec varians quae aliis, veluti ZANGERO in *Tract. de exceptionib.* Lib. 1. Part. 2. n. 36. ex antiquo Codice aridet lectio, quae loco vocis *et*, vocem *aut* habet, itaque solum maioris partis bonorum constitutionem ad domicilii locum indicandum sufficere vult, solidis iuris rationibus niti mihi videtur.

§. 15.

c) *Si quis diu et assidue in loco habitat.*

Denique et ex eo domicilii alicubi constituti argumentum haud contemnendum repetitur, quod quis in loco quodam assidue et per longum tempus commoratus fuerit, nec alia cur ibi constiterit causa dari possit. Licet enim solum

habitationis factum ad domicilium probandum haud sufficiat, ex diuturno tamen per quod quis habitauit tempore, quum alia huius rei ratio haud appareat, animus sedem fixam habendi tamquam re ipsa declaratus, recte colligitur, maxime quum in tanti temporis habitatione fieri non possit, quin alia facta accedant, quae rei familiaris ibidem instructae validum contineant argumentum. Quanti vero temporis habitatio requiratur, vt sedis fixae positae intentio colligi inde queat, generaliter quidem haud potest definiri, *a)* sed ex singulis singularum quae occurrunt specierum circumstantiis, factorumque praeterea susceptorum diuersitate iudicandum est, nec si aliae accedant coniecturae absolute subsistendum esse mihi videtur in *decennio*, quod expressum est in L. 2. C. de incolis, *b)* licet in casu dubio *c)* et vbi alia deficiunt argumenta ex *decennio*, quod quis in loco quodam transegit, sedem fixam hic eum constituisse, lege iubente omnino praesumendum esse haud negauerim.

a) De iure nimirum *communi*, nam *particularibus* urbium *statutis* passim praefixum est certum tempus, annale aliudue, intra quod qui in loco habitat, ius ciuitatis recipere tenetur. LAUTERBACH *de domicilio*. Cap. IV. §. 33. MEYIVS *ad Ius Lubecense* Lib. I. Tit. 2. n. 67. LEYSER *Spec.* 72. *Medit.* 8.

b) Verba legis haec sunt: „*Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis* „*trans-*

„transactis eo loco sedes sibi constituerint.“ Licet autem multi interpretum, vt LAVTERBACH in *Dissertat. de domicilio* Cap. IV. §. 27. et LEYSER. *Spec. 72. Medit. I. 2. enunciatiua* tantum esse verba *decennium* exprimentia, et nisi facta concludentia accesserint, ne longissimum quidem tempus ad domicilium constituendum sufficere existiment, magis tamen placet et verbis mentique legis accommodatior videtur ea quam proposui sententia, in qua fecutus sum BRUNNEMANNVM ad *Codicem* ad leg. citat. et STRUVIVM in *syntagm. iur. civil. L. V. T. I. §. 32.*

- e) Hinc vbi de contraria voluntate ex facto constat, decennium aliudue longius tempus in domicilio aestimando haud attenditur. Nec igitur illi, quos ex causa aliqua temporaria, veluti *studiorum causa* in loco aliquo versatos esse certum est, domicilium ibi consequuntur, licet decennium et ultra ibi fuerint commorati.

§. 16.

Domicilium non consequuntur, qui ex temporanea causa alicubi commorantur.

Qualiacunque vero sint ea, vnde domiciliū constituto et mutatio colligitur, indicia et coniecturae, his quidem tunc locus non est, quum de alia mente et de domicilio alibi constituto euidenter constet. Hinc consequitur, domicilium haud contrahere eos, qui ex *temporaria* aliqua causa, seu necessitate adacti, seu libera voluntate inducti in loco quodam commorantur, eaque agunt, quae agere solent qui domicilium ponunt; ex hoc ipso enim quod ex causa temporaria agunt deesse constat sedem fixam ponendi et perpetuo commorandi

in-

intentionem sine qua tamen domicilium haud intelligi certissimum est.

§. 17.

Sive a) necessitate coacti.

Domicilium igitur non mutant, qui *pestis*, vel *belli* aliusve *calamitatis* iniuria adflcti, deserta patria alium in locum ad tempus aliquod secesserunt; nec etiam illi qui *officii* quod gerunt vinculo adstricti in loco per tempus aliquod ita degunt, vt finito officio sint reuersuri, veluti qui in *commitatu principis* sunt, *legati*, *praefecti castrorum*, *iudices*, vel alii quilibet, munere aliquo deuincti, quod per tempus aliquod in certo loco commorandi necessitatem iniungit, a) quo vero finito inde rursus sunt discessuri.

a) cfr. BRUNNEMANNI *Consilia*. *Consil.* 159. n. 20. et CARPZOVII *respons.* Lib. I. R. 20.

§. 18.

Sive b) ex libera voluntate, veluti a) studiorum causa.

Eadem ratio est eorum qui negotii cuiusdam, quod libere susceperunt, expediendi finisue consequendi causa in locum aliquem ad tempus se conferunt, quos domicilium haud fortiri, constat in loco, vnde postquam quod voluerunt consecuti sunt, rursus sunt recessuri. Hinc, qui studiorum causa peregrinantur, in academia domicilium haud fortiuntur, quamdiu

diu studiorum causa et reditum in patriam meditantes ibi commorantur, quod diferte scriptum legimus in *L. 2. C. de incolis*. Ex quo autem studiis finitis et reuertendi in patriam animo deposito, eiusmodi facta suscipiant, quibus sedis fixae constituendae intentionem luculenter declarant, veluti si professiones acquirant, vel vxores ducant, et rem familiarem instruant, vel omnia sua bona in academiam transferant, domicilium iam eos hic sibi constituisse indubitatum est idemque vbi facta dubia occurrunt, nec tamen studiorum finis reditusque in patriam intentio aliunde apparet, a) ex *decennii* lapsu secundum legem supra laudatam colligendum esse videtur.

a) Quamdiu enim de contraria mente aliunde confet, nullo tempore domicilium in academia studiosum consequi ex ipsa domicilii notione legibusque passim citatis consequitur.

§. 19.

β) *mercaturae vel opificii addiscendi gratia.*

Idem hoc, quod de studiosis dictum, ad eos qui *mercaturae* aliue artis vel *opificii* addiscendi causa peregrinantur, qui in eadem omnino ac illi sunt conditione, applicandum esse, haud dubitari posse mihi videtur. Nec etiam *mercatores*, qui negotiationis cuiusdam exercendae causa in loco aliquo degunt, vel qui *tabernam* vel officinam vt per tempus aliquod subsistant et merces parent aut distrahant conductam aliterue

D

con-

constitutam ibi habent, domicilium statim eo consequuntur, a) quum ex temporali tantum causa hic commorentur et comparatis distractisue mercibus aut negotiatione finita ad locum ubi sedem fixam habent iterum sint discessuri. b) Nec aliud dicendum arbitror de his, qui postquam mercandi artem in exteris terris didicerunt, negotiationem iam ipsi aliquam hic exercere tabernamque habere incipiunt, quum sufficiens argumentum eo haud contineatur, exuisse eos in patriam redeundi animum sedisque fixae hic constituendi consilium cepisse. Quod si vero alia facta accedant, quae domicilium constitutum declarant, veluti si eo in loco assidue versentur et rem familiarem instruant, vel quicquid bonorum in patria possident huc transferant, ex his quidem domicilii mutati solida argumenta peti posse verissimum est. Ex iisdem vero rationibus consequi videtur, neque *famulum* hoc solo facto, quod *famulus* sit, in loco *famulitii* domicilium fortiri, sed animum eius fixam sedem et fortunarum suarum summam ibidem constituendi ex aliis factis accedentibus esse colligendum. c)

a) Apparet hoc etiam ex *L. 19. §. 2. D. de iudiciis*, qua conveniri quidem posse aliquem eo in loco, non vero *domicilii* sed *contractus* iure hisce verbis constitutum est: „ — — *At si quo constitut, non dico iure domicilii, sed tabernam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibique distraxit, egit, defendere se eo loci debet.* „

b) cfr.

b) cfr. ELBERTI LEONINI *Consilia*. Confil. 54.

c) vid. CARPZOV. in *Iurisprud. forens. Part. III. Constit. 38. Def. 18.*

§. 20.

De his qui militiae causa peregrinantur.

Quod tandem ad eos attinet qui apud exterum principem vel rempublicam stipendia merentes, *militiae causa peregrinantur*, de horum quidem domicilio iudicandum est ex *L. 23. §. 1. D. ad municipal.* a) qua constitutum est, eum locum militis domicilium esse videri, vbi *militiam agit et stipendia meret, nisi certe in patria sua bona possideat*, quo ipso originis domicilium eum retinuisse apparere. Naturalis autem est sanctionis huius ratio, in hoc consistens, vt si miles nihil facultatum domi reliquerit, patria deserta totum et perpetuo se militiae dedisse eum videri, sin contra bona ibi possideat, rerumque suarum constitutionem fecerit, temporario tantum militiae studio addictum et aliquando in patriam eum reuersurum esse inde apparere. b) Quod si autem hac legis ratione considerata, mentem eius attentius perpendamus, in *facto* potissimum versari quaestionem de domicilio militis concedemus, quum idem ille animus, qui ex bonis in patria relictis lege iubente colligatur, ex aliis dictis et factis aequè concludentibus deriuari possit. Quodsi igitur miles exteri principis seruitia suscipiens, pacto, quod

capitulationem vocant, conditionem adiecerit, vt quam primum familiaris rei vtilitas exigeret, missionem petere et domum reuertere ipsi permiffum fit, vel donec bellum, aut expeditio aliqua durauerit, castra eum fecutum esse appa-
uerit, vel alia quauis ratione de hoc quod militiam tamquam *negotium aliquod temporarium* agat, probabiliter constiterit, ex ipsa legis mente, hunc in loco *originis* domicilium retinuisse erit existimandum.

a) Cuius verba ita se habent. „*Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria possideat.*„

b) cfr. STRVVIVM in *syntagm. iur. ciuil.* Lib. V. Tit. 1. §. 23. et LEYSERVM *Spec. 75. Med. 7. et Spec. 79. Med. 3.*

§. 21.

De his qui duobus locis domicilium tenent.

Ex his, quae summatim exposui de domicilli constitutione et mutatione principiis, de legis nostrae contra Hamburgenses peregre commorantes applicatione facili negotio constabit, quum tota quaestionis decisio secundum ea quae in primo capite disserui ex hoc pendeat, vtrum *domicilium* quis *mutauerit*, et *eo in loco, ubi de bonis hereditariis libere disponere ipsi licet*, constiterit. Sed *duobus* quoque in *locis* domicilium aliquem habere posse ex legibus nostris constat. a) Nimirum, quum vtroque loco rem familiarem
aqua-

aequaliter intruxerit et in utroque aequè frequenter commoretur, quo posito, annon lex nostra applicanda sit? dubium esse videtur, quum is qui praeter id quod Hamburgi habet et aliud tenet domicilium, sub iis qui in der Fremde wohnen, naturali ratione comprehensus esse, et, ne ea, quae in alterum locum transtulit bona hereditaria Hamburgensibus cognatis eripiat metuendi ratio subesse videatur. Sed magis tamen eum lege propitia excludi non posse crederem. Quum enim, licet et alibi consecutus sit domicilium, non tamen civis aut incola Hamburgensis esse deserit, ratione horum autem, qui civis aut incolae sunt, statutarii iuris regula de bonis hereditariis non alienandis expresse confirmata sit, a verbis legis recedi posse eo magis dubitauerim, quo certius constat, iura singularia et quae exceptionem constituunt restringenda magis esse quam extendenda.

a) Ita in *L. 5. D. ad municipal.* scriptum legimus: „eum qui pluribus locis ex aequo negotietur, nusquam domicilium habere. Quosdam autem dicere refert (Labeo) pluribus locis eum incolam esse, aut domicilium habere, quod verius est.“ Et in *L. 6. §. 2. D. eod.* „Viris prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur.“ Cum quibus et sanctione legis *27. §. 2. D. eod.* aliaeque plures conveniunt.

THE-

T H E S E S.

- I. *In negatoria actione onus probandi actori incumbit, quando reus est in possessione servitutis.*
 - II. *In rei vindicatione fructus consumiti a bonae fidei possessore licet locupletiore inde facto non restituntur.*
 - III. *Litis contestatio civiliter et secundum quid malam fidem inducit.*
 - IV. *Contra longissimi temporis praescriptionem ex capite ignorantiae restitutio in integrum haud concedenda est.*
 - V. *Per remedium protestationis datum in Lege 2. C. de annali exceptione, restitutionis in integrum beneficium haud sublatum esse videtur.*
 - VI. *Donationis insinuatio coram quolibet iudice valide fit.*
 - VII. *Donatio D. solidos excedens et iuramento confirmata non eget insinuatione.*
 - VIII. *Bona fides et in extinctiva actionum personalium praescriptione requiritur, sed ea per solam debiti scientiam haud excluditur.*
 - IX. *Fideiussionis et constituti debiti alieni quoque apud nos aliqua est diversitas.*
 - X. *Testamentum privilegiatum confici potest a patre etiam ratione liberorum illegitimorum.*
 - XI. *Donatio omnium honorum valida est.*
 - XII. *Substitutio vulgaris transmissionem iuris deliberandi in heredis institui heredem non impedit.*
-

ULB Halle

003 341 992

3







1782 5 5

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIS HAMBVRGENSIS,

QVA DISQVIRITVR,

VTRVM LEX NOVA DE
BONIS HEREDITARIIS ALIE-
NARI PERMISSIS CONTRA SVBDITOS
HAMBVRGENSES PEREGRE COMMO-
RANTES POSSIT APPLICARI.

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS ORDINIS ICTORVM AVCTORITATE

PRO

SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

DIE XVI OCTOBRIS ANNI MDCCLXXXII

PVBLCICE DEFENDET

NICOLAVS BERNHARDVS POPPE

HAMBVRGENSIS.

GOETTINGÆ,

LITTERIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICI

